



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Aduersus incontinentiam linguæ & sensuu[m], precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Multa ac varia sunt delicta lingua, pericula inductiva, ac dāna multiplicia, ideo sepe numero orandum est, ac propositum bonum renouandum contra lingua incontinentiam. Qui enim in lingua non delinquit teste S. Iacobo, perfectus est vir. Et qui lingua incontinens est, huius nulla est religio.*

*Aduersus incontinentiam lingua & sensuum, precatio.*

**D**ominus Deus meus lego & experior, quanta est infirmitas, quanta lubricitas: Linguae: da mihi gratiam frenandi & continendi linguam meam. Domine Deus meus, quoties proposui retrenare linguam, ut non dicerem, nisi quae ad necessitatem meam, aut proximi essent aedificationem? & non emendavi me nec institutum seruaui. Legimus quantam gratiam his praebuisti amabilis Iesu, qui a loquendo abstinuerunt, donec utiliter loqui didicerunt. Quantum placuit tibi silentium in Catharina Senensi, in Maria de Oegenes? &c. Domine Iesu, eripe me a lingua mea. O si, dulcis Domine Deus meus, dares mihi gratiam hanc, ut non soluerem linguam meam ad loquendum, nisi in laudem & honorem tui, aut pro beneplacito tuo! Da mihi Domine DEVS linguam mutam ad omnia mundana, vana, mala & ociosa. Conclude linguam meam, obtura aures meas, purum fac cor meum & incontaminatum ab omni detractione, ab omni murmuratione, ab omni derisione, ab omni carnalitate, ab omni vanitate, ab omni scurrilitate, dulcis Domine Deus meus. Iesu pijsime, da mihi linguam secundum linguam tuam, aures secundum aures tuas, cor secundum cor tuum, & omnia membra secundum membra tua, ut gratia tua ducente, merear te imitari, tibi merear conformari, per te merear praeseruari, tuo lumine dirigi, tui amore accendi, tua custodia protegi, tuis virtutibus ditari, tuis meritis saluari, Amen.

*Orationes haec dua contra peccata frequentanda sunt: praecipue ab his, qui sunt in consuetu vitiorum.*

**M**itissime atque misericordissime Iesu, obsecro te per cruenta, roseaque vulnera tua, per omnes dolores ac poenas tuas, per amarissimam mortem, & per omnia merita ac intercessionem beatissimae virginis Mariae matris tuae & omnium sanctorum tuorum, libera & custodi me a superbia, inuidia, aedia, & omni peccato. Da mihi ex toto corde meo te diligere, & voluntatem tuam perfectissimam in omnibus implere, Amen.

*Ad B. virginem Mariam ipso tentationis tempore, precatio.*

**O**purissima, nobilissima, atque speciosissima omnium virginum, dignissima Dei mater virgo Maria, obsecro te per profundissimam humilitatem tuam, per sanctissimam castissimamque puritatem, & per feruentissimam charitatem tuam, perque omnia dona, virtutes & gratias, quibus ornata es a Deo, ut sis dignissima eius mater, recipe me in custodiam & amorem pijsimi materni cordis tui, tanquam filium licet indignissimum sim, & impetra mihi tui amoris sanctissimum atque castissimum. Impetra mihi perfectissimam humilitatem, castitatem, charitatem & ceteras virtutes omnes, quibus tu placuisti Deo. Impetra etiam mihi, ut per singularem misericordiam filij tui, per merita passionis eius, & per iugem contritionem peccatorum meorum in hac vita totus purificari merear ab omnibus vitijs & peccatis meis, ut post hanc vitam sine dilatione ad vitam recipar sempiternam. Et propterea o dulcissima domi-